

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Carmen Quintum. In Festum Nativitatis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

Vivum æternorum. hinc mundus constringitur
 omnis,
 Sic postquam Domini atque hominis fit Spiritus
 unus *m*.

Sidera *Spes* spectans, pauca hæc mirantibus addit:
 Parco oculis vestris. quid, si nunc aula pateat "
 Illa, videns JESUM? Quæ, quantaque præmia restant!

Cernimus, audimus, sentimus ea omnia dudum.
 Vos etiam, *Cives!* incendere talibus ardet
 GRATIA. Surrexit DOMINUS, consurgite fortes *o!*
 Hortatrix scelerum, libertas vana, sepulta
 Esto *p!* VIR DEUS hic mansura ad gaudia ducit *q.*
 Si qua fides, si spes, si vos amor attigit unquam
 Numinis; Hunc unum rediturum Heroä sequamur *r!*

CARMEN QUINTUM. IN FESTUM NATIVITATIS.

Charitas Dei!

2. Corinth. XIII, 13.

DEUS æternus, prævidens humani generis lapsum, voluntate suâ anteceden-
 te amorem, misericordie plenissimum, erga omnes omnino præstitit; Unigeni-

Y y 3

tum

(m) 2. Cor. III, 17. I, 21, 22. 1. Cor. VI, 12, 14, 17. (n) 1. Cor. II, 9, XV, 58.
 Eph. I, 19. II, 7. 1. Petr. I, 3, 4. (o) Col. III, 1. (p) Rom. VIII, 10.
 Col. III, 3. (q) *ibid.* v. 4. 1. Petr. I, 7, 8. Gal. VI, 9. 2. Cor. IV, 17, 18.
 (r) Phil. II, 1, 2, 3, 4, 5. &c.

zum mittens in carnem ac mortem pro ipsis, eosdemq; vocans per Eum certo ordine, justitiæ consentaneo, ad salutem recuperandam: quando autem plerique ordinem isthunc negligunt, culpâq; suâ voluntatem Dei, exinde judiciali necessitate consequentem, sibi damnandis attribunt; reliquos paucos, eò fidelius viam præscriptam sequi, & Divini amoris fervori obsequio suo respondere, oportet.

Æ Ternis oculis hominum *Pater* atque deorum
 Viderat, humanam justissima spernere gentem
 Pacta sua, & fato ventura pericula in ipsam
 Corruere ^a. Ergò omnes, ait, Augustissime FILI!
 Mortales fugient tua prægnantissima regna?
 Gratia quæ, qualis, quanta, ex te panditur illis
 Omnibus! at nostro quàm se solentur amore
 Turpiter ingrati, seclorum instantia longè
 Frigora portendunt, æternis digna tenebris ^b.
 Longè illis faciem licet obvertamus & iræ,
 Et bonitatis: & hinc perversi in pejus abibunt.
 Fac, pelago immisso terra expurgetur, ut orbis
 Prodeat inde novus: mox & Nimrodus & Assur ^c,
 Ac alii audebunt, pacem turbantibus ausis,
 Fingere sceptrâ sibi; nec fas, nec jura tenentes.
 Miserimus posthâc cunctis præ millibus unum
 Abramum, solidâ qui sit virtute futurus

Con-

PARALLELISMUS CARMINIS V.

(a) *Hof. XIII, 9.* (b) *Deut. XXXII, 5, 6.* (c) *Gen. X, 9, 11.*

Constans, atque tuos exsultet lumine magno ^d
 Cernere, *Nate*, dies ^e; hujusque nepotibus omnem
 Lege voluntatem nostram minitante reclusam
 Tradiderim, vivoque habitârim cominus ore
 Inter eos: labente tamen cum tempore & ipsi
 Jure focoque cadent cœlesti, aliena sequentes
 Sacra & jussa hominum, nullâ qui luce fruuntur ^f.
 Tu venies tandem, venies tu, pignus amoris
 Dulce mei, in terras; carnemque indutus & ossa,
 Te coram insinuare malis, conabere frustra.
 Scilicet in carnis sensûs furiasque trahuntur
 Lapsi ægri assiduas, &, quâ se spiritus offert
 Noster in auxilium, obsistunt ^g; nec scire morantur,
 Quanta suis stulti illecebris diademata perdant.
 Rumpitur interea mihi mens, miserantibus ardens
 Visceribus; ne omnes patiar migrare sub orcum ^h.
 Vade age, nascere homo: decretaque nostra, ty-
 rannis
 Haud placitura, refer. Surgit mihi debita proles,
 Non ex sanguinibus majorum, aut compote carnis
 Consilio, atque viri; sed, quæ ex me nascitur ipso
 Per tua verba, fidem penitus generantia sanctam.
 Illam

(d) *Mal. II, 15.* (e) *Johan. VIII, 56.* (f) *Actor. VII, 39, 40, 42, 43, 51.*

(g) *Gen. VI, 3.* *Job. I, 11.* (h) *Luc. I, 78, 79.*

Illam non patrum mores^k, neque purpura mundi^l
Flectet: amabit enim te solum, &, quod tibi soli
Imperium sine fine dedi, te vindice habebit^m.

Filius hæc postquam audivit pia jussa Parentis;
Virgine natus humi, celebrat Genitoris amorem
Nuncius erranti generi; pariterque ministrat
Angustam portam, reditus quâ detur ad astraⁿ.
Me patris unigenam, me, me, inquit, cernite: vobis
Quem DEUS è gremio concessit, ne qua creata
Gens, infinitam nisi opem aspernata, periret.
Cernite, quantum homines nimium dilexerit ipse^o!
Felices nimium, si se præstare fideles
Maluerint, quàm se proprio privare salutis
Æternæ studio, quod spes velut anchora poscit^p!
Vestra absunta salus fuerat: mihi restat, emendi
Palantes animas, fors dira; haud ære fugacis
Argenti atque auri; (quod, si fluat omnibus undis,
Montibus aut celsis emanet ab omnibus unum
In cumulum, vestrum non tollat crimen) at alto
Sanguine, pro vobis jubeor quem fundere solus^q.
Tanta Creatoris vos gratia quærit & ambit!

Hæc

(i) Job. I, 12, 13. (k) 1. Petr. I, 18. (l) Matth. XI, 7, 8. Job. XV, 19. XVII, 14, 16. (m) Job. I, 32, 33. XVII, 19, 24. Dan. VII, 18. (n) Matth. VII, 13, 14. (o) Job. III, 16. (p) Hebr. VI, 19. (q) 1. Petr. I, 18, 19.

Hæc quoque sub longo annorum patet ordine clavis
 Indiciis. Jam tum primâ inde ab origine summus
 Rerum opifex; sicut justum libamen Abelis
 Dignatus patrio est vultu, sed, fratris eundem
 Subjiciens plantis, occumbere sivit iniquo
 Vulnere; sic reliquos respectans providus omnes,
 Quos Pater electos cœlesti destinat aulæ,
 Præsenti ætati, tanquam ludibria, sistit
 Expositos: læti, nempe, ut vescantur honore
 Spirituum interno, radiis melioribus apti.
 Quem qui experti ignem cupidè amplexantur, & usi
 Dictâ lege, meo sunt nati è Patre; beatos
 Prædico: vae vobis, quibus est averſa voluntas!
 Noctes atque dies cunctis patet ardua cœli
 Janua: quam, nascens, refero; de morte cruentâ
 Exurgens, victor patefactam ostendo quibusvis,
 Si redamare velint, quem tam vehementer amantem
 Ex me percipiunt. partis at viribus altâ
 Mente frui, atque Cruci mecum submittere colla;
 Hoc opus, hic labor est; hic amor sub pectore firmo!

ZZ

VER-

(r) *Gen. IV, 4, 8.* 1. *Job. III, 12.* *Hebr. XI, 4.* (s) *Matth. V, 11, 12.* 1. *Cor. IV, 9, 11, 13.* 1. *Petr. IV, 13, 14, 16.* *Hebr. XII, 9.* (t) *Act. XVII, 30, 31.* (u) 1. *Job, IV, 10, 11.* (x) *Matth. X, 38.* *XVI, 24.* *Marc. VIII, 34.* *Luc. IX, 39.* *Gal. VI, 14, 15, 16.*

VERBUM ita Divinum loquitur: quos ore ferendi
 Sermones, nunquam finem dedit. Illius antè
 Interpres, pius omnis erat. Pòst, ipse refulgens
 Optatâ facie, quos non tam dulcis amicus,
 Mille modos animis admovit, ut ætheris auræ
 Sublimi castas, obtuso in corde, pararet
 Paulatim auriculas, quæ suavia dicta Tonantis
 Interiùs caperent! veluti pluvialibus hiscens^a
 Terra repletur aquis, Boreas nisi clauferit istam.
 Tantum Evangelium selectus Apostolus omnis
 Commendans etiam, simul in miracula rerum^b
 Omnia mutavit: si quis diffideret illi,
 Ut sentire Deum posset. Quanquam insita dictis,
 Quod mirabilius fatu est, penetrantior ense
 Ancipiti, assensum verum vis dia ciebat^c;
 Qua sine nil sancti hauritur, nil Numine dignum.
 Ibant in populos: nec non penetralia adibant
 Extima; seu pedibus, venti seu flatibus acti,
 Huc illuc ducente DEO^d. Nihil ampliùs autem
 Cantabant memores, quàm, quo indulgentia coeli
 Exciperet miseras Christi solamine mentes;

Quæ

(y) *Cantic. II, 8. 10. V, 4, 5. Es. V, 1.* (z) *Matth. XIII, 9. &c.* (a) *Hebr. VI, 7.* (b) *Acton. V, 12. 14.* (c) *Rom. I, 16. Hebr. IV, 12.* (d) *Acton. VIII, 39.*

Quæ natum mortis domitorem agnoscere, & ejus
 Fata sequi mallent, foedæ caliginis armis
 Abjectis, fierique DEI generosa propago:
 Ex Patre non genitos, qui oculorum pascua vana,
 Atque voluptatem carnis, moresque superbos
 Sectari cuperent ^f; huic impendentibus orbi
 Talia deberi flammis terrestria corda ^g.
 Sic verò ingressi, meritis communibus ullos
 Non temerè exclusos voluere; sed ardua tantum
 Declarant monita: ut, qui sese inferre sacro
 Sanctorum imperio meditentur, inania linquant
 Mundi optata semel semperque; & sponte fugatis
 Tot desideriiis, nōrint, nisi amare profana
 Absistant, ipsos propria hæc sibi dona negare ^b.
 Esse timore, tremore opus esse ⁱ; ubi funere Gnati
 Sit nostras animas mercatus summus Amator ^k.

Ast, quamvis JESUM, spes & solatia terræ,
 Omnibus obtulerint omni molimine ^l; firmum
 Stat tamen, inventos raros de mille potentum
 Illustri numero, qui intrarent retia Christi ^m.

Hinc testis Paulus: sapientum haud nomina multa,

Zz 2

Non

(e) Rom. XIII, 12, 14. (f) 1. Joh. II, 16, 17. (g) 2. Pet. III, 12, 13. 1. Cor.
 II, 6. (h) Act. VIII, 21. (i) Phil. II, 12. (k) Rom. V, 8. 1. Cor. VI, 20.
 (l) 2. Cor. V, 20, 21. (m) Matth. IV, 19, 20.

Non opulentorum, nec, quos stirps splendida fulcit,
 Sorti electorum cessisse; quòd aspera spernant".
 Sæpius id repetens, aliquando ad sidera palmas
 Tendebat DOMINUS: PATER, ô regnator in astris
 Et tellure, Tibi sit laus, sit gloria, quando
 Arcana hæc visum meritò est abscondere ab illis,
 Qui sapere ante alios, qui res censere videntur;
 Ac detecta eadem lactentibus obvia ferre!
 Eja, PATER! justum est: quia sola infantia gaudet
 Lacte & melle tuo. Juvat hæc Te pura voluptas,
 Hæc Tua Divinum pertentant gaudia pectus o!

Sed

(n) 1. Corinth. I, 26, 27. (o) Ps. VIII, 3. Matth. XI, 25, 26. CHRYSO-
 STOMUS, in Matth. Homil. XXXIX. *An perditione illorum gaudet, quòdque illi hæc non didicere? Minime. Sed hæc est via salutis optima, ut, qui respuunt, quæ dicuntur, & nolunt suscipere, nullo pacto cogantur: ut, quoniam vocati non obtemperarunt, nec meliores hic facti sunt, sed spreverunt atque contemserunt salutem, respiscant. Sic cerè diligentiores etiam fient, qui crediderunt; quibus revelata esse mysteria, lætitiæ dignum. Quod verò ab illis occulta sint; non quidem gaudio, sed dignum lacrymis: ut profecto & fecit, lacrymans atque commiserans civitatem. Non ergò, quia sapientes non cognoverunt, gaudet: sed, quia, quæ sapientes non cognoverunt, hæc isti perceperunt, lætatur. Ita & Paulus dicit: Gratias ago DEO meo, quoniam fuistis servi peccati: obedistis autem ex corde, in quam traditi estis formam doctrinæ. Non ergò Paulus propterea gaudet, quia erant servi peccati: sed, quia, quum essent hujusmodi, veritatis cultores facti sunt. — Cur verò gratias agit Patri, quum & Ipse id fecerit? sicut orat & intercedit pro nobis apud Deum, magnam erga nos declarans charitatem; sic etiam & hoc ex charitatis fervore peragit: & simul ostendit, non ab ipso solum, verum etiam à Patre illos excidisse. — Deinde ex his*

Sed vos quid tandem? qui toti incumbitis artes
 In varias; seu vos deceat, versare colendo
 Jura, statumque omnem patriæ, ritusque decoros;
 Seu, medicas tractare manus, curasque dolentum
 Innumeras; seu, quos usus natura requirat,
 Partibus ampla suis; quos quævis lingua recessus;
 Tempora quos habeant eventus; sive, salutis
 Æternæ causas scrutari è fontibus almis.
 Hisne animis opus? aut, num fas, contendere contra
 Hortatorem humilis studii, quod ducit in altum?
 Respondere quidem solitum, meministis, eundem:
 Hoc agendum unum; quamvis nec cætera cessent.
 Jam qui vos igitur, digno cura ista quibuscum

Zz 3

Ex-

ostendit, tum suam, tum Patris primariam & antecedentem voluntatem. Ut enim Ipsi est, gratias agere, atque gaudere, quod parvuli recepti sint: sic Patris est, ne precibus flexus, sed sponte sua commotus, id fecisse videatur. Sic enim, inquit, placitum ante te: id est, sic Tibi, Patri omnium, placuit, (p) Matth. XVIII, 3. (q) Matth. XXIII, 23. Luc. XI, 42. GERHARDUS, Harmon. Evangel. c. CLVIII. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, quibus verbis ostendit CHRISTUS, se nequaquam illos hoc nomine arguere, quod olera decimarent, & de minoribus præceptis servandis solliciti essent: sed, quod perverso ac præpostero studio minora servarent, atque interim majora præcepta securè & audacter non solum ipsi transgrederebantur, sed etiam ab aliis violari permitterent: quod in minoribus servandis & commendandis essent superstitiosi, in majoribus verò violandis impii; quodque spem justitiæ & salutis in observatione externarum ceremoniarum ac legum ceremonialium collocarent, etiamsi gravissimis delictis contra legem moralem commissis essent cooperti.

Excubet ima loco? cessat palmaria, cessat,
 Indignis sopita moris; si qua altera fervet.
 Sicne polum spondet vobis, DEUS ille, magister?
 Ille, DEO æqualem reddi, duxitné rapinam?
 Non ita. Quantus amor Patris, tanta æstuat intus,
 Sumta in carne, Ducis nostri vis æmula ad omne
 Obsequium: lætatur enim, prædura tenellis
 Substerni membris, miseras, præsepia, cunas;
 Formam habitumque gerit pueri servilis, & ora
 Involvi pannis patitur; submissus in annos
 Continuos matri, renuit fastidia nulla.
 Natus enim, & datus est, animis infantibus infans!
 Quales quippe cupit, genitos de Numine, Numen;
 Talem misit eum. Si quem sapientia cepit
 Vera, procul fugiat turpi cum fraude tumorem
 Cordis, & exquirat vestigia pulchra Magorum;
 Bethlemi agnoscens, precibus votisque subactus,
 Quas struat insidias, quæ blandimenta maligna
 Herodes dederit: per quæ diversa viarum
 Dexteræ magnæ DEI dignetur mittere sanctos.

Quid multum incautis, quid nugatoribus, auræ
 Mun-

(r) *Philipp. II, 6, 7.* (s) *Matth. II, 14.* *Luc. II, 51.* (t) *1. Cor. XIV, 20.*
 (u) *1. Petr. V, 5, 6.* (x) *Matth. II, 7, 8, 10, 11, 12, 13.*

Mundanæ stolidis servis, crudele canamus ?
 Quanta mala his instant, si nec prudentia mundi
 Christo digna fuit ! Quanta autem, quanta paterni
 Pectoris hæc flamma est, quâ, quotquot vana re-
 linquunt,

Spirituum generator amat; de semine laudans
 Unius sobolis natos, unaque futuros
 Hæredes scribens! atque ex hoc jure supersunt
 Quanta illis, qui se purgarint, purus ut ipse est !

Angeli inexpectum gaudent, populoque fideli
 Gratantes, introspiciunt in mira JEHOVÆ,
 Descenduntque in humum; neque enim, consistere
 mentem,

Passa cupido: satis se non posse illa tueri ^b,
 Significant, pleno cœli agmine conclamantes:

Gloria in excelsis Patri! pax, gratia terris ^c!

Talia Cœlicolæ! Quid nos, quibus auctor habendæ
 Filius ipse reis vitæ datur, inque labores ^d
 Advenit, ac mortem? Quantum in nos flagrat, amarâ
 Virtute exsuperans; nos tantò impensius, æquum est,
 Dura sequi ^e. Paucos expectat regia CHRISTI ^f:

Jun-

(y) Rom. II, 7, 8, 9. Jac. IV, 4, 8, 9, 10. (z) Rom. VIII, 7, 8. 1. Cor. I, 25.
 2. Cor. VI, 14, 15. (a) 1. Joh. III, 1, 2, 3. (b) 1. Petr. I, 12. (c) Luc.
 II, 14. (d) Es. XLIII, 24, LIII, 4. (e) Phil. II, 12. (f) Luc. XIII, 23.